



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus


Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus LIX. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

ipsam, cujus Castitatem admiraris, in hoc capite tibi adeo deprædicatam. Hæc teste S. Scripturâ c. 8. lib. in superioribus Domus sua fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vite sue. Talia tu quoque arma accipe, & vinces auditurus aliquando in tui laudem, quod dictum est de Judith locò citatò: viriliter egisti. Victorque cantabis cum illa Canticum, quod nemo cantabit alius, nisi qui suæ carnis Victor Victorem agnum fuerit secutus. Vives demum cum Populo, qui juxta caput ultimum hujus libri est jucundus secundum faciem sanctorum, diesque Victoria tue in numero dierum sanctorum accipietur &c.



FASCICULUS LIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. lib. Esther, in quo describitur Absveri convivium & Gloria. Vasthi inobedientia & repudiatio.

Considera: **G**Rande illud Convivium, ab Absvero centum & viginti septem Provinciarum Rege institutum, symbolum esse Gloriæ & felicitatis æternæ, quæ ab ipso Christo Domino Convivium vocatur Lucæ 22. v. 30. testante hoc pariter Isaiâ, dum cap. 25. asserit: & faciet Dominus Exercituum Populis in monte hoc Convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum. Quidquid in dapibus ex saccharo aut melle confectis dulce est, in ferinis carnibus delectabile, in avibus palato acceptum: imò quidquid tandem sapore suo recreandæ poterit gulæ servire, mensa cœlestis suis hospitibus offerret; quia omnem dulcedinem formaliter vel eminenter in se possessam exhibet ille, qui primarium hujus convivii objectum est Deus. Torrente Voluptatis potabis eos, exclamat Michæas, inebriabuntur ab ubertate Domus tue. Nulla ergo erit hominis potentia, quæ non specialî gustu & Voluptate sit perfruitura. Intellectus divi-

no illustratus lumine recreabitur in contemplandis divinæ Essentiæ Perfectionibus, visurus: quomodo Filius à Patre, & ab utroque procedat Spiritus. Visurus Incarnationem verbi & omnia humanæ Redemptionis opera. Visurus media, quæ Dei selegit sapientia in Prædestinatione ad gloriam &c. voluntas delectabitur in perfecta unione, quàm per charitatem assequetur, Deo conjuncta. Memoria absorbebitur ab immenso Divinitatis pelago, omnium ærumnarum oblivionem æternum habitura. Quemadmodum enim ebrietas non tantum replet stomachum, sed fumò caput implet, faciens hominem omnium curarum oblivisci, ita gloria cœlestis omnem abigit tristitiam, omnem expellit mœrorem, adeò: ut S. Augustinus testetur: si contingeret, unicam tantummodò guttam Beatitudinis æternæ defluere in damnatorum pœnas, eâ dulcedine perfunderet gehennam, ut nullum restaret ultra tormenti genus, quod afficeret damnatos. Adcoque evanesceret omnis memoria præteritorum lapsuum, quam damnatis conscientia vermis continuo objicit. Evanesceret memoria perditæ temporis, neglectæ occasionis, spretæ gratiæ, quæ damnatos longè acerbius ipsò infernali igne excruciat. Hospites cœlestis illius convivii haud secus ac hospites Assveri sedebunt *in lectulis aureis & argenteis super pavementum smaragdino & pario stratum lapide inexplicabili quiete fruituri*, prout ait Richardus à S. Victore p. 2. in Cant. c. 10. *Quæ quies lectulus dicitur, quia ab illa ab omni inquietudine & labore hujus vite pausat, in illa quiete pausat, qui hic pro Deo laborarunt.* Christiane Lector, dum legis ista, tantum umbraticè descripta, quid agis? tantanè eris dementiæ, ut Reginam Vasthi imiteris, quæ ad splendidissimum Assveri convivium invitata, venire contempsit teste S. Scripturâ v. 12. citati cap. hoc si feceris, gustu rerum terrenarum deceptus, egredietur edictum à facie Regis æterni, in quo scriptum leges: *nequaquam ultra Vasthi, anima videlicet tua, renuens per piam vitam venire ad cœleste convivium, ingrediatur ad Regem, sed Regnum illius altera, quæ melior est illâ, accipiat.* v. 19. capitis præfati.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. lib. Esther, in quo describitur electio Esther pro repudiata Vasthi, conjuratio à Mardocheo detecta.

Considera: **S**ynagogam Judæorum, instar Reginæ Vasthi repudium N. 387. esse passam à Christo, & in locum ejus assumptam speciosam Esther, Ecclesiam videlicet Catholicam, quam summè adamavit secundus iste Assverus, eique dona largitus est juxta magnificentiam principalem v. 19. capiti cit. Quin imò non tantum universa Ecclesia, sed quælibet privata anima, in Dei gratia constituta, instar pulcherrimæ Esther à Sponso Christo diligitur Cantic. 4. dicente: *Soror mea Sponsa &c.* S. Bernardus talium Sponsarum Dignitatem perpendens a. 3. c. 1. ait: Christum non sine speciali Myserio durissimè clavè voluisse configi in patibulo crucis, ut ostenderet; se ab amplexu animæ, sibi per gratiam sociatæ, nullatenus sejungi posse; adeoque dolores, quos ibidem Ipsum pati contigerit; haud aliter, quàm meras voluptates æstimasse. Ut porrò per peccatum semel perditam redimeret animam: licèt id assequi potuisset unicâ guttulâ sanguinis, ingens fluxum effuderit, imò exhausserit totum, quod bulliebat in venis. Quis verò non dicet: præ amoris magnitudine illum insanire, qui gemmam perditam unicò redempturus nummò mille ducatos lubens pro ea expenderet? S. Brigitta testatur lib. 7. Revelat. se quondam audivisse à Christo: tanta se ferri dilectione in animas, ut si fieri posset, toties mori cuperet, quot reperire sit animas in Inferno. Propheta Isaias postquam futuram verbi Incarnationem denuntiasset, quâ mediante Deus hominibus volebat conjungi, ociùs subjunxit cap. 7. & vocabitur Nomen ejus Emanuel, Butyrum & mel comedet. Per quæ ultima verba videtur innotescere: mellis & butyri instar dulcissimi à Christo haberi unionem cum animabus hominum. Accedat aliquis puteum civitatis siccar, intuens ibi oculis mentis suæ, quomodo fatigatus & sudore madidus mulieris etiam scædissimæ adventum cum desiderio grandi exspectet? quantâ industriâ hujus miseræ peccatricis salutem quærat? quot Samaritana adferat excusationes? quot quærat diverticula? ut elabi possit è manibus Domini? qui tamen omnia sibi objecta obstacula perrumpit, & ex cunctis accipit occasionem quærendæ salutis.

tis. Aquas dum illi negat tanquam Hebræo, Ipse aquam ei porrigit vivam, è fonte gratiæ divinæ fluentem. Liceat mihi hîc cum Magno Gregorio Moral. lib. 28. exclamare: *Quantum nos diligit, qui nos, ne cum respuitur relinquit.* Quis est ille Salvatoris nostri amor, qui nos etiam fugientes inquirit? qui dona largitur etiam contempnentibus ea, testatus apud Prophetam Isaiam c. 65. *Totâ die expandi manus meas ad populum incredulum & contradicentem, qui graditur viâ non bonâ.* Infinitis quasi modis sese transfiguratur, ut errantes animas Cœlo reducat. Quare Pastorem induit, ut eas ad gregem reducat. Factus est mercator, ut negotium salutis ante omnia illis procurer. Factus est Medicus, ut vulnera in illis sanet. Factus est Sponsus, ut eas provocet ad suas delicias & voluptates. Factus est Capitaneus, ut ad prælia contra tartareum hostem eas animet, & instruat. Factus est Agnus, ut se æterno Patri pro eorum peccatis sacrificet, ac immolet. Factus est Gallina, ut sub alis ab omni periculô eas custodiat. Factus demum est Assverus alter, ut eas à servitute Dæmonis liberatas æternô conjugio sibi copulet instar Estheris. Ergo Christiana anima, si per felicem statum gratiæ Assvero huic semel copulata es, Estherem imiteris, observantem exactè, quidquid ei præscripserat Mardocheus v. 20. hujus cap. Mardocheus iste Pater spiritualis aut Parochus tuus est, qui ad Regis divini Januam moratur. Huic quidquid inordinati appetitus & passionis adversus Sponsum tuum moliuntur, fideliter detege: ut ille media tibi suggerat, quæis adjuta eas supprimas & de suppressis triumphes, ventura ab hoc temporali ad æternum eum Assvero isto conjugium.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 3. & 4. lib. Esther, in quibus describitur exaltati Aman indignatio in Mardocheum & Judæos. Regina Esther à Mardocheo imploratum auxilium.

N. 388. *Confidera:* **M**ardocheum propter negatam Amano venerationem cum tota Hebræica gente ad necem quæsitum in sui defensionem nec se, nec Judæos gladiis armasse, vim vi repulsurus: sed teste S. Scripturâ c. 4. v. 1. indutum esse saccò & sparsisse cinerem super caput. Parè sanè armaturâ induaris & tu Christiane contra hostem illum, qui juxta S. Scripturæ effatum instar Aman est accusator fratrum

trum nostrorum, accusans eos die ac nocte Apocal. 12. Hanc armaturam tibi luadet Apostolus, dum ait 1. Pet. 1. *Propter quod succincti lumbos.* Sciebat enim, salutem à Davide his armis obtentam esse, dum profitetur Ipse Psal. 4. *Ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio, humiliabam in jeunio animam meam.* Hinc etiam S. Anton. de Pad. Serm. Dom. infra Octav. Nativit. docet: non reperiri fortius armaturæ genus contra Dæmonum insidias & assultus, quàm penitentiæ mortificationisque instrumenta. S. Edmundus continuum habiturus triumphum, & illæsam semper servaturus animam, non tantum zonâ, sed etiam caligis utebatur cilicinis, ut refert Surius in ejus vita, solò ad læc pane vilique cibo contentus, nec carnes, nec pisces comedit, sitim eò usque tolerans, donec labra dirumperentur. Ad quietem nocturnò tempore capiendam, non stragulum nec pulvillum adhibuit: sed propriis tantum vestibus contextus, considerare assueverat, per triginta annos in tali mortificatione perdurans. Beatus Simon Strylita teste Lanzio opuscul. 2. Viginti maximos ciniphes intra tibialia alebat. *Hoc est nostrum in hac vita,* exclamat Climacus Serm. 13. *de verb. Dom. actiones carnis Spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, franare, interimere.* Adhæc, ut de felici successu sis eò certior, per fervidas preces, ad pulcherrimam & divino charissimam Assvero Estherem Mariam, confuge. Fiet haud dubie: ut illa tui Patronam actura accedat Filium, & osculans summitatem Virgæ ejus, audiat ab eo: *quid vis Esther Regina, que est petitio tua?* v. 3. cap. citati *et si dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* v. 7. ibidem. Hoc consilium exsequenti indubitata tibi victoriam prælagit Innocent. III. Serm. de Assumpt. dicens: *quia militia est vita hominis super terram: quicumque sentit, se impugnari ab hostibus vel à mundo vel à carne, vel à Diabolo, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut Ipsa per Filium mittat auxilium de Sancto, & de Sion tueatur: quis enim devotè invocavit Eam, & non est exauditus ab ea?* Sicut carnivoræ aves prædas, quas unguibus suis tenent, validò hominum clamore auditò dimittunt: ita Tartarei hostes, dum advertunt, per calidas voces compellari Nomen Mariæ, eamque suo Filio fieri supplicem, quantocius à tentando desistunt.

Ttt

Doctri-

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 6. & 7. lib. Esther, in quibus describitur Fidelitas Mardochei, lectis annalibus recognita, & inde secutus Honor, Amani verò secuta pœna.

N. 389. *Considera:* **Q**UOD Christus Dominus in Judicio finali sit Assverum acturus, jubens sibi afferi annales totius mundi acta & facta exactissimè annotata exhibituros, prout canit Ecclesia: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur &c.* Tunc Iusti instar Mardochei, dum vivebant in terris nil mercedis pro fidelitate assecuti, sed potius ad patibula & pœnas damnati, stolâ immortalitatis induentur, & equo divinæ gratiæ infidebunt, vehendi per plateas civitatis illius, quam Joannes vidit in quadro positam, præcedente eos præcone, atque clamante: *hòc honore condignus est, quemcumque Rex honorare voluerit.* v. 11. capitis 6. Econtra Peccatores, mundi honoribus, deliciis ac divitiis cum Amano pasti, audient cum illo: *appendite eum in eo,* nempe in patibulo damnationis æternæ v. 9. capitis 7. & hæc Ipsa sententia æquivalet illi, quam divinus Ille Assverus Judex Christus Scripturâ teste proferet, dicturus ad reprobos: *discedite à me maledicti &c.* cap. 24. Matth. ò Christiane! perpende; quantâ eò tempore lætitiâ sint perfundendi fideles Mardochei, quantâ verò confusione horrore & tristitiâ affiendi arrogantes Amani. S. Vinc. Ferrerius narrat de quodam juvene, lusibus, impuris amoribus & blasphemis dedito: quòd noctu quâdam somniaverit: se tractum esse ad Dei Judicium, ubi objecta ei sit species Christi, Virginis Mariæ & Sanctorum, productis etiam ad Judicium pluribus animabus, quas singulas interrogavit Judex: *quid fecisti pro me?* cumque cerneret alias vocari ad gloriam, alias verò abjici ad pœnam, juvenis extremâ confusione & horrore perculsus exclamavit: *ò miserum me! quid respondebo quærenti ex me: quia nihil est, quod egerim boni?* posthæc illicò vocatus à tremendo Judice, audiit ab illo: *quis es tu? redde rationem vitæ tuæ?* hòc ipsò momentò excitatus è somno præ nimio horrore totus incanuisse visus est. Quid quæso eveniet illis, qui talia non tantum cum juvene somniant, sed ipsò factò experientur? quare ò Christiane Lector! ne & tu aliquando tantam confusionem tantumque horrorem
coga-

cogaris perpeti, vive nunc Mardocheo in timore Dei, stans cum illo
ante fores, ut non ingrediaris Aulam mundanae vitae.



FASCICULUS LX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 8. & 9. lib. Esther, in quibus describitur: quomodo sententia contra Judaeos lata per preces Estheris revocata, Mardocheus exaltatus.

Considera: **V**irginem Dei Matrem erga clientes suos in particulari judicio talem agere Patronam, qualem pro Judaeis Esther egisse legitur. Jacet illa ante pedes caelestis Assveri, & pro eorum salute sollicita exclamat: quomodo enim potero sustinere necem & interfectionem Populi mei? v. 6. citati cap. 8. Naturalista memorant: pavonem masculum esse infensum pullis, eò quòd foedam & luteò colore tinctam ferre soleant speciem, colori parentum longè difformem. Quare tanquam abortivos reputans pater, eos ad necem quærat: hoc ergo periculum pullis suis imminens mater advertat, & eos sub alis abscondens morti subtrahat. Haud aliter Judex æternus peccatores velut filios abortivos persequitur, quærens eos ad necem æternam, utpote affectos deterrimò peccatorum colore: sed adest ociùs patrocini sui alis Virgo Mater, & precum suarum præpotenti auxiliò eos jam parato subtrahit exitio. Hinc poterunt devoti Mariæ Clientes cum Davide testari Psal. 36. *In die malorum protexit me in abscondito Tabernaculi sui.* Maria Tabernaculum meritò vocatur, sub quo non tantùm Divinitas & humanitas Christi olim recondita morabatur, sed etiamnum absconditi morantur peccatores, ut effugiant tremendi Judicis iram. Confirmat hoc Isaias, dum ait: *in die malorum super omnem gloriam protectio & Tabernaculum erit in umbra diei ab aestu, & in securitate, & in absconsione, à turbine & à pluvia.* Optime igitur

T t t 2.